Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3071
Quelle:
Copyright:

Dom. 2. Adv. leguntur de obſcuratione Solis et Lunae: *Die zway ding ſind pey vnſern zeiten geſchehen. Ich wais aber* (nicht?) *ob ſein yemandt gedenkcht — Das auch des mannes* (lunae) *ſchein pluet var* (farb) *iſt worden, Des gee wir nicht Irr. Das geſchach, Do der kunig von vngern die armen lewt all hies morden Da zu Oſterreich vnd auf der marich* (in Moravia) *Da die Thattern vnd die walachen die armen lewt all erſluegen vnd hintriben* &c. Id, quod de irruptionibus *Hungarorum* ſub *Andrea* III, et maxime de illa anni 1291. intelligendum putem, de qua *Chronicon Mellic.* in Collect. *Scriptt. Rer. Auſt. Hier. Pezii* T. I. *col.* 243. *Eodem anno Ungari cum ſuo Rege Auſtriam hoſtiliter invadunt et multam cædem hominum, nec non captivitatem multorum faciunt. Non erat, qui eis reſiſteret.* Itaque ineunte Sec. XIV. Autor noſter Verſionem ſuam adornaſſe videtur, quae ab antiqui Idiomatis ſtudioſis excuti mereretur.

DCCCXLIX.

554 Codex membraneus lat. Folior. nunc 135. 4. nitide pictuatus, et exaratus characteribus, quos *Mabillonius Langobardicos* adpellat, litera *a* duplex *cc*, litera *t* literam *a* referente, litera *e* ſupra lineam evecta et litera *r* infra lineam producta, vix tamen Sec. XII. antiquior, et fortaſſis ſtudioſa tantum ductuum veterum imitatio, *Liturgicus* eſt ſeu *Breviarium* a *Pſalterio* exordium ducens, cujus primum *Folium* Titulum et prima verba continens deperiit, ita, ut nunc initium ſit: *Qui non habijt in conſiljo impiorum. et in uia peccatorum non ſtetjt.* &c. Hoc eod. *Pſalmo* legitur *eccleſia* pro *Cathedra* et *decidet* pro *defluet.* Numerus *Pſalmorum* ad CLXX. extenditur, variique variis rubricis gaudent. Ita II. inſcribitur: *Pſalmus dauid II. legendus ad Evang.* X. *Vox chriſti ad apoſtolos.* XLV. *Vox apoſtolorum* &c. Poſt *Pſalm.* XII. folium unum excidit. *Fol.* 73. p. 2. ſuccedunt *Cantica Biblica, Hymnus Ambroſii, Angelicus, Oratio dominica, Symbolum Apoſtolorum* et *CPolitanum, Fides ſancti Athanaſii* et *Litaniae*, in quibus praeter B. V. et tres Archangelos ſolus nominatur *Benedictus* reliquis omnibus in *Choros* diſtributis. Quemadmodum vero *Litaniae* ipſae, ita et *Preces* illis ſubjunctae penitus ab hodie receptis abeunt. *Fol.* 85. *Cantici de aduentu domini.* Sequuntur de *Natiuitate*, in *dominicis diebus*, de *quadrageſima*, de *reſurrectione*, de *martiribus* et *virginibus.* Initium primi: *Ecce dominus in fortitudine ueniet. et brachium eius dominabitur* &c. *Fol.* 90. p. 2. *Incipit Lectionarium per totum anni circulum.* Initium: *Sabbato de aduentu ad V. et Laud. Erit in nouiſſimis diebus preparatus mons domus domini* &c. *Fol.* 104. p. 2. *Incipit ymnarium per totum annum. Ymn. ad nocturnum. Primo dierum omnium quo mundus extat conditus* &c.